

& similes speculationes soliti sunt conver-
tere. Aliorum licet nobis securis esse. Qui
Ciceroniani audire volunt, & hoc solum
curant, ut à qualicumque styli elegantia,
inepte sæpe affectata, commendentur,
in hac causa iudices sedere non possunt.
Quosdam, qui Philosophis accenseri de-
siderant, Bovilli Methodus offendet: at,
si ipsi meditando didicissent mentem
suam subigere, & à libris (ex quibus so-
lis sæpe sapere deprehenduntur) abduce-
re, aliud judicarent. Non omnes sunt
Citharædi, qui Citharam habent. Nec
Philosophi mox habendi, quos pallium
& baculus commendant: aut, qui tales
se esse proclamant apud improvidam ju-
ventutem, cui si scruta sua, Philosophi-
corum terminorum lenocinio obducta,
commendare possint, medium digitum
ostendere sustinent iis, qui omnem æta-
tem horum sacrorum contemplationi im-
penderunt. Quum vero Saliaribus cœnis
suæ quoque mensæ secundæ esse consue-
verint, atque, sæpe referat, asperitatem
Philosophicam, cicere & sesamo perfun-
dere: Bovillo sociavi Johannem Passera-
tium, virum & lepidissimi ingenii, & un-
diquaque

*